

Cum dilecta, de Confirm. utili vel inutili, illis verbis: *Ejusdem aequitatis similitudine provocati*. Ex quo textu multi colligunt legem exorbitantem, seu excipientem casum singularem a communi jure, extendi ad alios propter similitudinem rationis, ut videre licet in Panorm. ibi: Felin., in c. *Quoniam frequenter*, Ut lite contestata; Nav. in c. 1, § *Laborem*, 24. Confirmatur primo, quia lex exorbitans extenditur in causa pia et miserabili ob similitudinem rationis, ut multi jurisperiti testantur, quos refert et sequitur Barbos. in l. *Si constante*, 25, ff. Solut. matrim., n. 73, in fine, et n. 74; ergo idem erit in privilegiis, saltem in his quæ ad causas pias conceduntur. Confirmatur secundo, quia privilegium per quod datur potestas ad absolvendum in aliquibus casibus, extenditur ad alios in quibus eadem vel major ratio militat; et dans facultatem ad dispensandum vota, dare censetur ad commutandum; et dans privilegium testandi, censetur dare ad faciendum codicillum, vel donandum causa mortis; et dans facultatem clerico beneficiario ad fruendum fructibus in absentia, ut theologiam audiat, censetur dare etiam audienti jus canonicum. Atque in hanc partem propter aliqua ex his argumentis inclinatur Didac. Perez in legib. ordin. quæst. 2 Prologi; Favet Navarr., afferens aliqua exempla in Sum., c. 22, n. 74; Sarmien., in lib. Select., cap. 12, n. 7; et Barbos., in l. 1, ff. Solut. matrim., n. 19 et 20. Propter quod Emman. Roder., licet in 1 tom., quæst. 7, art. 2, prædictam regulam absolute tradidisset, nihilominus in quæst. 119 addit solum regulariter procedere, et illam limitat, ut non procedat in privilegiis causæ favorabili concessis, ut est causa pia, causa dotis, religionis, etc.

13. *Nulla limitatio admittenda.* — Dico tamen, si vere et proprie loquamur, non esse necessariam limitationem, si extensio excedat propriam verborum significationem. Ita sentiunt auctores pro regula citati, qui indistincte loquuntur. Sic etiam loquuntur jura quæ jubent tenorem privilegii observare, et illum non præterire; ergo intra illum tantum et intra verborum proprietatem licita est extensio, non tamen ultra. Confirmari hoc potest variis exemplis, plura inconvenientia ex illa extensione deducendo; sequitur enim privilegia concessa uni religioni posse extendi ad aliam æqualem, vel arctiorem, propter solam paritatem rationis in pietate causæ; consequens est omnino falsum: quis enim audere illam extensionem facere, nisi Pontifex com,

municationem privilegiorum concessisset? Item sequitur privilegium concessum personæ patris, transire ad filium, si in eo eadem ratio militet; quod licet admittat Roder., d. quæst. 7, art. 7, in principio, tamen et sibi ipsi videtur repugnare, et generali regulæ juris, quod privilegia personalia non transcendunt personas, c. *Privilegium*, de Regul. jur., in 6. Alias non solum inter patrem et filium id esset admittendum, sed etiam inter quascumque duas personas æque dignas, in quibus eadem ratio pietatis, aut gratitudinis, vel remunerationis inveniretur, quod nemo concedet. Ratio denique a priori supra tradita æque procedit in privilegio piæ causæ, quia etiam illud pendet ex voluntate principis, qui, licet velit facere unum pium opus, non ideo vult facere omnia similia vel æqualia, seu in quibus eadem ratio militat, ut per se constat in quolibet operante; estque eadem ratio in principe. Confirmatur, quia nisi standum esset verbis privilegii, omnia essent incerta, et alius posset similem extensionem facere in privilegio remuneratorio, quod honestissimam habet rationem, et in similibus, quæ nulla ratione admittenda sunt.

14. *Ad cap. citatum in contrarium responsio.*—*Derivatio unius ad aliud differt a virtuali continentia.*—*Lex exorbitans quomodo intelligenda.*—Ad cap. ergo *Cum dilecta*, respondeo principem quidem optime facere posse illam extensionem, quia jam accedit ejus voluntas, et non facit tantum declarando, sed constituendo, neque aliud probat textus ille: nos autem loquimur de privatis personis utentibus privilegiis. Propter ea vero quæ in confirmationibus congeruntur, est considerandum aliud esse, derivare privilegium ab uno ad aliud per similitudinem rationis, quod non licet; aliud vero ita illud interpretari, ut plura comprehendat quam superficie verborum appareat, quod licet, quando ratio suadet. Exemplum sit, si alicui concedatur privilegium celebrandi sacrum in loco interdicto, licebit illud extendere ad ministrum: et si concedatur personæ nobili simile privilegium audiendi sacrum, extenditur ad socios vel familiares, juxta decentiam status, ut supra dictum est, ex Panorm. in cap. *Quam sit*, de Judæis, quia illa non est extensio per similitudinem, sed per virtuales continentiam verborum, juxta rationabilem eorum interpretationem. Ad hunc ergo modum habet aliquando locum extensio in lege exorbitante, non vero propter solam rationis

æquiparationem, ut in lib. 6, in princ., dixi. Et eodem modo diximus, in materia de voto, sub facultate dispensandi includi facultatem commutandi. Et simili modo est probabile sub testamento comprehendere codicillum tantquam accessorium sub principali; vel extenditur illa vox ad omnem dispositionem causa mortis factam, quando non usurpatur propter specialem modum disponendi per modum testamenti, de quo videri potest Navar. de Redit. monit. 20; et Mandos. in Praxi signat. gratiæ, verb. *Licentia*. Ad hunc ergo modum fit extensio in favorabilibus privilegiis quoad significationem verborum, maxime quando juvatur consuetudine, vel juris, vel judicium, aut sapientum; transiens vero a causa ad causam, vel a persona ad personam propter solam rationis æquiparationem, nunquam licet, quod magis in sequenti regula explicabitur.

15. *Quarta regula.*—*De ampla interpretatione privilegii.*—Quarta regula, seu secunda de extensione sit: Interpretatio ampla privilegii semper est intra verborum proprietatem faciendâ, nisi major omnino necessaria sit, ut privilegium aliquid operetur. Regula sumitur ex Glossa in Clem. *Per litteras*, de Præbend., verb. *Directas*, ubi, loquens de privilegio etiam motu proprio concessio, ait non esse ampliandum ultra vim propriam verborum. Idem sensit Alex. de Nevo, in c. *Quia circa*, de Consanguinit. et affinit., num. 16; et Sanc., lib. 8 de Matrim., disp. 1, num. 5. Ratio autem est jam tota in secunda et tertia regula, quia verba privilegiorum sunt sicut verba juris, quæ in proprio sensu, et secundum jus ipsum sunt accipiendâ; alias nihil esset certum, si ad improprias significationes extendere liceret. Exceptio autem addita est, quia fundatur in ipso jure, quod præcipit ita interpretari legem et privilegia, ut nec injusta sint, nec inutilia, vel frustra data, ut in fine præcedentis regulæ explicatum est. Atque ita res est facilis.

16. *Proprietas verborum unde sumenda est.*—Hæc autem proprietas verborum imprimis sumenda est ex usitata significatione, vel communi usu, vel (quod maxime attendendum est) secundum jus privilegio proportionatum, quod ideo addo, quia si privilegium est regium, magis attendendum est jus civile; si vero fuerit pontificium, canonicum jus attendendum est. Notavit hoc Sylvest., verb. *Privilegium*, quæst. 3, et sumitur ex Bald., l. *Si quando*, 1, c. de Bonis vacantib.,

lib. 10. Quod uno vel altero exemplo declaratur; nam si privilegium concedatur, verbi gratia, Episcopo pro suis familiaribus, familiares intelligendi sunt, qui actu sunt in obsequio et famulatu ejus, juxta cap. ultim. de Verborum significat., in 6; et notavit Abbas in cap. *Cum dilectus*, de Clericis non residentibus. Item si aliquis irregularis per privilegium fiat habilis ad beneficia, intelligitur de simplicibus, nisi aliud explicetur, juxta cap. ultim. de Præbend. Item si illegitimus per privilegium fiat habilis ad ordines indefinite, intelligitur de minoribus tantum, quia est materia odiosa, et in majoribus censetur esse specialis ratio et consideratio, ut voluit Sylvest., dicta quæst. 3, et in verb. *Clericus*, 1, quæst. 4. Præterea immunitas ab oneribus simpliciter concessa intelligitur ab extraordinariis, non ab ordinariis, nisi exprimitur, ne alii nimium graventur, ut dixit Sylvest. supra, quæst. 9, cum Bart., in leg. 2, ff. de Jure immunit. Sic etiam facultas ad minuendum numerum ministrorum Ecclesiæ, cujus facultates diminutæ sunt, non extenditur ad augendum illorum numerum, etiamsi crescant redditus, ut notavit Panormit., ex textu ibi, in c. ultim. de Verbor. significat., quia moderari proprie non significat augere. Similiter privilegium circa modum servandi interdictum, non extenditur ad cessationem a divinis, nisi exprimat, vel aliunde constet de mente concedentis, quia illa duo in jure diversa sunt, ut notat Nav., c. 27, num. 189. Denique facultas data ad ascendendum ad majorem dignitatem non extenditur ad æqualem, quia verbi proprietas hoc non admittit, cap. *Licet*, de Translat. Episc., et sic etiam intelligitur cap. *Licet*, de Regularib., ubi conceditur religioso transitus ad arctiorem religionem, unde non censetur concessus ad æqualem. Denique si alicui detur facultas providendi, verbi gratia, primam præbendam vacantem per decessum, non intelligatur data si vacaverit per renuntiationem vel cessionem, quia, in rigore verborum, illa duo distincta sunt, capit. *Susceptum*, de Præbend., num. 6.

17. *Juxta has regulas alia intelligenda.*—Ad hunc ergo modum de aliis intelligendum est, et juxta has regulas intelligendæ sunt aliæ quæ frequenter in auctoribus inveniuntur. Una est, privilegia non plus operantur quam verbis expriment, juxta c. *Privilegia*, dist. 3, et c. *Porro*, de Privileg.; subintelligendum enim est, quam verbis expriment, aut



late, aut restricte interpretatis, juxta conditionem privilegii, et observata propria illorum significatione, vel communi, vel saltem juridica, nisi specialis necessitas cogat aliquam impropriam admittere. Alia regula est, privilegium simpliciter favorabile extendendum esse; intelligenda vero est, salva verborum proprietate juxta materiam subjectam, vel usum jurisdictionis, ut dictum est. Item, procedit contra concedentem: nam respectu aliorum restringenda sunt verba, ut præjudicium aliorum caveatur. Alia regula est, privilegium simpliciter odiosum restringendum esse ut quam minimum operetur, ita ut nec privetur effectu, et ultra effectum præcise necessarium non extendatur. Est tamen intelligenda, tum ut restrictio sit respectu aliorum, non respectu concedentis; tum ut effectus sit adæquatus verbis in aliquo proprio sensu, juxta supra dicta; et plura videri possunt in Felin., in cap. *Postulasti*, de Rescript., num. 8 cum sequent.; et Dec., in cap. 2 de Rescript., et Bart., in l. *Beneficium*, ff. de Constitution. princip.

18. *De praxi observanda in privilegii interpretatione.*—Tandem ex dictis facile expediri potest quod secundo loco proposui, de modo seu praxi observanda in hac privilegii interpretatione. De qua re multa tradunt juristæ, præcipue Panormit. in cap. *Pervenit*, de Immunit. Eccles., et cap. *Licet*, de Censib., et toto titulo de Privil., quæ in summam redigit Sylvest., verb. *Privilegium*, a q. 3 et 9. Sed illi ad multa singularia descendunt, quæ ad nos non spectant. Solum ergo est generatim adnotandum, quando verba privilegii sunt satis clara, et certam habent significationem, nullam esse adhibendam interpretationem, sed tenorem et formam privilegii esse observandam, juxta cap. *Recipimus*, et cap. *Porro*, de Privil., et sumitur etiam ex l. *Ille aut ille*, ff. de Legat. 3. Quando vero verba sunt aliquo modo ambigua, tunc principaliter quærenda est, et omnibus modis conjectanda intentio concedentis, juxta cap. *Intelligentia*, et c. *In his*, de Verbor. signific., c. *Sedulo*, distinct. 38, cum similibus. Et ratio patet ex dictis, quia ex voluntate concedentis pendet tota virtus privilegii.

19. *Supplicatio est spectanda ad indagandam mentem concedentis.*—*Circumstantie diligenter attendende.*—*Unum privilegium per aliud interpretatur.*—*Princeps quando consulendus.*—Ad hanc autem conjecturam fa-

ciendam, imprimis est supplicatio spectanda: nam illi solet princeps conformari, cap. *Inter dilectos*, § *Cæteri*, de Fide instrum., ubi Felin. et alii, et leg. *Si præses*, ff. de Pœnis; et tradit Jason in l. *Gallus*, § *Idem*, ff. de Liber. et posth., lect. 1; Matienz., lib. 5 Recopil., tit. 2, l. 1, 4, Gloss. 2, num. 3; Gutier., l. 3 Quæst., pract. quæst. 17 et 18, num. 42 et 43. Deinde initium ipsius indulti attente considerandum est, quia juxta illud solent adjungi omnia subsequenta, ut sumitur ex l. ult., ff. de Hæred. inst., et notant Bart. in l. *Ambitiosa*, c. de Decretis ab ordine faciend., et Panorm. in cap. *Adversus*, de Immunit. Eccles., numero 2. Præterea spectanda est materia subjecta: nam ad illam solent verba accommodari, et præcipue spectandum est an sit materia ambitiosa, vel etiam periculosa, ex qua possit sumi occasio ad multiplicandas lites, vel peccata, ut verba coarctentur. Præterea circumstantiæ omnes causarum, et personarum diligenter attendendæ sunt: nam hæc omnia conferunt, tum ad significationem verborum, tum ad mentem principis intelligendam. Denique interdum possumus unum privilegium per aliud interpretari, et quod in uno defuerit ex alio complere, ut docet Bald. in c. *Auditis*, de Rescript., num. 4, et latius Jason. in l. *Triticum*, ff. de Verbor. oblig., n. 6. Quod si adhuc res sit dubia, et per receptam doctrinam probabiliter definiri non possit, consulendus est princeps, nisi sit aliquod periculum in mora; nam tunc prudenti arbitrio uti licebit; de quo videri potest Hostiens., lib. 5 Sum., t. de Privil., § *Quid operetur*.

CAPUT XXIX.

QUIBUS MODIS PRIVILEGIUM PER SE FINIATUR, SEU QUASI AB INTRINSECO AMITTATUR, ET SPECIALITER PER TEMPORIS LAPSUM.

1. *De mutatione privilegiorum.*—*Multiplex modus mutationis in privilegiis.*—Declaravimus omnia quæ circa substantiam, varietatem, causas et effectus privilegiorum opportuna visa sunt; reliquum est ut de illorum mutatione ac destructione dicamus. Constat enim privilegia, eo ipso quod jura humana sunt, mutabilia esse, et quantumvis aliqua perpetua dicantur, omnia posse aliquo modo aboleri ac destrui, ut supra, cap. 3 et 5, attigimus, et nunc exactius explicabimus. Non est autem hic modus mutationis unus tan-

tum, sed multiplex; cum enim privilegium sit humana lex, fere omnes modos mutationis recipit quos lex humana, de quibus ex professo, lib. 6, diximus. Nunc vero ex ibi dictis supponimus mutationem privilegii, instar physicae mutationis, circa rem præexistentem versari: ac proinde privilegium tunc mutari dicitur, quando fuit validum, et talis qualitatis, vel quantitatis, et postea substantiam vel proprietatem mutavit. Nam si contingat privilegium a principio esse nullum, vel impediri, aut suspendi, ne operetur, illa non erit mutatio privilegii, sed nullitas, vel irritatio, aut suspensio anticipata, de quibus et de causis earum, explicando causas et effectus privilegii, dictum est; hic ergo de propria mutatione tractamus.

2. *Mutatio propria duplex: partialis et totalis.*—*Varie mutationes totales.*—*Pura amissio.*—*Renuntiatio privilegii.*—*Revocatio, seu abrogatio.*—Quæ dividi potest primo in totalem et partialem; per priorem, totum privilegium, et totaliter, ac omnino extinguitur: per posteriorem autem non omnino, sed ex parte privilegium tollitur, unde generatim diminutio privilegii dici potest. Comparantur autem hæc duæ mutationes sicut privatio integra, quæ in termino semper est eadem, quia totum esse destruit; et partialis, quæ secundum varia accidentia fieri potest. Hoc autem non obstante, variae sunt mutationes totales, seu destructiones privilegiorum, ex parte modorum seu causarum a quibus procedunt. Potest enim privilegium veluti corrumpi instar aliorum accidentium, vel rerum corruptibilium, aut quasi ab intrinseco et sponte sua, quam vocare possumus puram amissionem privilegii; aut per contrariam actionem, quæ esse potest, vel intrinseca ipsius privilegiati, quæ dici solet renuntiatio privilegii, vel alterius extrinseci agentis, et vocabitur revocatio seu abrogatio privilegii, et de his omnibus sigillatim dicendum est: de partialibus autem mutationibus non oportet specialiter dicere, quia in privilegiis non habet locum propria dispensatio, quia privilegium, ut tale est, non ponit vinculum quod per dispensationem relaxetur, sed potius ipsum privilegium solet vinculum relaxare. Et ideo non mutatur ex parte per dispensationem, sed per suspensionem, vel partialem revocationem, aut renuntiationem, et ideo, explicando integras mutationes, cum proportionem declarabuntur partiales.

3. *De pura amissione.*—*Desitio ex parte materiae.*—In hoc ergo capite dicere incipimus de pura cessatione privilegii. Multis autem contingit amitti privilegium absque actione ulla contrarii corrumpentis. Declaratur: nam hic corruptionis modus provenire solet ex defectu alicujus causæ conservantis; in privilegio autem plures causæ concurrunt, et ita, secundum modum causarum, possunt hi modi multiplicari. Ex his vero duo sunt certi, scilicet, ex parte formæ, seu qui ad illam reducit, et ex parte causæ finalis; ex parte vero causæ efficientis res est controversa, et fortasse non necessaria, ut videbimus: nam de his tribus agemus. De desitione autem ex parte materiae, non oportebit dicere, quia duplex materia potest in privilegio considerari, una est materia circa quam, et mutatio quæ ratione illius provenire potest, reducit ad causam formalem, vel finalem, ut explicabo; alia est materia subjectiva, ut est persona, vel res, quæ est subjectum privilegii, et de hac, quatenus privilegium desinere potest ad desitionem subjecti, satis dictum est supra circa divisionem privilegii in reale et personale.

4. *Amissio ex parte formæ.*—Primus ergo modus amissionis privilegii ex parte formæ sumitur, estque per temporis lapsum. Qui modus non habet locum in privilegio perpetuo, ut supra dixi: in privilegio autem temporali est clarus, et juri consentaneus, in cap. *De causis*, de Offic. deleg., et in l. 2 et 4, c. de Precib. imperator. offerend. Et ratio id convincit; nam privilegium temporale dicitur, quod ad definitum tempus conceditur; ergo necesse est finiri, finito termino, quia cessat (ut sic dicam) influxus causæ conservantis, scilicet, voluntas concedentis, quæ in privilegio inesse censetur tanquam in signo, et ideo solum durat, quando in privilegio significatur; vel certe (et fere in idem redit) quia a principio datum fuit sub illa conditione, ut illo tempore finiretur, et ita non fuit productum nisi cum illa duratione, et ita hic modus provenit ex parte formæ, quia limitata fuit ad tempus, vel expresse, vel æquivalenter, ut dicam, et ita fuit a principio imperfecta, et tandem cessavit. Neque in hoc occurrit difficultas, sed videri possunt supra dicta de privilegio temporali, et quæ in simili dixi tom. 5, tractando de suspensione ad tempus facta, et Panorm. ac doctores in c. *Cum accessissent*, de Const.

5. *Privilegium conditionale quomodo cessat.*